id est in se ipso qui est mensura
omni rei modum praefigens et
numerus omni rei speciem praebens
et pondus omnem rem ad sta
bilitatem trahens id est termin
ans et formans et ordinans
[illegible] **V. An angeli eiusdem ordinis sint equales**

Praeterea considerari oportet utrum
omnes angeli eiusdem
ordinis equales sint. Ita
esse quibusdam placuit sed
non est hoc probabile nec asser
tione dignum quia Lucifer
qui fuit de collegio superio
rum cunctis dignior exstitit
qui aliis excellentior
creatus fuerat ex quo prae
sumpsit quod si persistisset et de ordine
superiori fuisset et aliis eius
dem ordinis dignior exstitisset.
Sicut enim unus est ordo aposto
lorum et alter martyrum et tamen in
apostolis alii sunt aliis digni
ores similiter et in martyribus alii
aliis sunt digniores Ita et
in ordinibus angelorum recte
creditur esse. **Quod dicit scriptura de
cimum ordinem ex hominibus impleri id non sit
quasi novem**

Notandum etiam quod decimus
ordo legitur de hominibus
restaurandus. Sed tamen non quasi
novem ordines vel plures
fuissent etiam si illi persitissent
qui ceciderunt novem tantum Unde
vero quod scriptura dicit decimum
ordinem complendum ex hominibus
Gregorius namque dicit ho
mines assumendos in ordines
angelorum quorum alii assu
muntur in ordine superiorum
quia scilicet magis ardent carita
te alii in ordine inferiorum
quia scilicet minus perfecti sunt ex quo
apparet non esse de hominibus fu
turum decimum ordinem tamquam
novem sint angelorum et decimus
hominum sed homines secundum qualitatem
meritorum statuendos in ordini
bus angelorum. Quod ergo legitur
decimus ordo complendus de ho
minibus ex tali sensu dictum
fore accipi potest quia de hominibus
restaurabitur quod in angelis
lapsum est de quibus tot cecide
runt ut possit fieri decimus
ordo. Propter quod apostolus dicit restaurari
omnia in Christo quae in
caelis et quae in terra sunt quia per
Christum redemptio est humani
generis de quo fit reparatio ru
inae angelicae. Sed non minus
salvaretur homo et si angelus
non cecidisset. **Quod homines assumuntur in numerum
stantium non lapsorum**

Non enim in numerum eorum
qui ceciderunt sed eorum qui
permanserunt homines ad beati
tudinem admittuntur. Unde
Gregorius: Superna illa civitas
ex angelis et hominibus constat
ad quam tantum credimus huma
num genus ascendere quantos illic
contigit angelos remansisse
sicut scriptum est: Statuit terminos
populorum iuxta numerum angelorum
Dei. Ex quibus videtur **Quod dicit secundum numerum lapsorum et hominum reparandorum**
tamen putari quod homines reparen
tur iuxta numerum angelorum qui ce
ciderunt ut illa caelestis civitas
nec suorum civium numero
privetur nec maiore copia regnet.
Augustinus in Enchiridion
videtur non asserere de
hominibus plus salvandum quam ceci
derunt de angelis sed non minus
ita dicens: Superna Ierusa
lem mater nostra civitas Dei nulla
civium suorum numerositate frau
dabitur aut uberiore etiam co

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0184

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG